

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis**

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In sex partes tributæ

Qvae Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1612**

§. 3. Quod vita actiuia opus habeat contemplatiua: & quænam circa hoc quærelæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

10 III. PART. INTRODVC.

i Jacob. 1. 21

net edocta, illustrata, pasta, & amoris affectibus accensa, ac intra se i *in situ* verbum recipit increatum, qui est Deus, cui perfecta charitatis unitio coniungitur.

VITAM ACTIVAM OPVS  
habere Contemplatiā, qualesque circa hoc sint que-  
relæ §. 3.

8 Lu. 10. 40



ARTHA autem sat agebat circa frequens ministerium, quæ stetit & ait: Domine non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Hac occasione ostenditur, quām ACTIVA vita indigeat

I. CONTEMPLATIVA. In primis enim manifestum fit exemplo Marthæ, solam actionem non sufficere ad Christo pro voto seruendum, explendaque statu sui munia; nisi eius soror Contemplatio suppetias ferat; cuius est deuotionem ac in externis functionibus dulcedinem impetrare; sine qua vita Activa sicca & semicoeca esset, quæ relis & multis repugnantijs plena: propter quod dicebat Bernardus: Ipsius Actionis interesse, à Consideratione præueniri, & quamvis possit quis absque perfecta Contemplatione ad celum peruenire; nemo tamen absque aliquo contemplationis modo poterit cum suavitate progredi, aut

onus

Lib. 1. de  
Consid.

DE VITA ACT. ET CONT. 11

onus & iugum legis Domini iucundè portare.

Ex quo sequitur propria necessitate vrgere  
actiuam vitam, non nihil subsistere, sicut Mar-  
tha (quæstetit) & Christum Dominum peti-  
tionibus compellare, & Cōtemplationis spi-  
ritum, quantum sibi necessarius est, postula-  
re; sicque dulci quadam & amica querela di-  
cere: Domine videris mei obliuisci, solam  
que, & sororis meæ Contemplationis socie-  
tate destitutam, relinquere: dic illi me vt iu-  
uet: & quia tuum dicere, est facere; & iubere,  
est exequi: iube mecum adesse Contempla-  
tionis Spiritum: b mitte de Cœlis & à Sede  
magnitudinis tuae spiritum sapientiae, à quo illa  
procedit: vt mecum sit, & mecum laboret, &  
sciam quid acceptum sit apud te, & opere ipso  
mox exequar.

II.

b Sap.9.10.

Verū obseruandæ in hac re sunt nonnul-  
læ imperfectorum querelæ, qui externis acti-  
uæ occupationibus nimium dediti sunt, sibi-  
que in eis complacent. Quidam enim occul-  
tā quadam superbiâ de Christo Domino con-  
queruntur, quod multum externis actionibus  
in Dei obsequio laborantes, solos quasi, &  
absque contemplationis suavitate & dulce-  
dine relinquat; atque si nullam ipsorum cu-  
ram gereret, nec ullo tali præmio, ipsorum  
atque aliorum labores efficiat, sicut c pater  
senior filij prodigi parenti suo conquerebatur,  
quod non sibi, sicut prodigo filio indulgeret:  
Est autem hæc insignis deceptio: quia supre-  
mus noster pater, omnium omnino curam ge-

VII.

c Luc.15.29

rit,

rit, tam actiuorum, quam contemplantium; singulisque sufficienter, iuxta cuiusque statum, prouidet: qui ergo D E V M, quasi in hac prouidentia negligentem, accusat, argumentum est, quod neque se, neque illum, ex defectu humilitatis agnoscat: qui enim D E V M & seipsum agnoscit, felicem se reputat, si ei seruat etiam rependo, & absqueulla indulgentia, aut præmio alio, quam sit ipsemet D E V S; & qui eò usque le non humiliauerit, non obtinebit donum contemplationis, dicente scri-

d Iob. 37. 24

*ptura: d Non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes. quia nimirum superbis & de se præsumentibus Contemplatio negatur: dabitur autem humilibus, & qui se se prouidentiae diuinæ commiserunt.*

*Alij sunt, qui non quidem directè, sed oblique tamen de ipsis contemplatiis concurrunt, ut Martha de Maria, eosque otiosos & exiguae in Ecclesiam & proximos utilitatis reputantes, volunt ut contemplatione relictâ, se ad externas actiones conferant: sicque licet non verbis expresse, illorum tamen occupationem quasi fastidiæ, Christo Domino re ipsa dicere videntur: dic ut me adiuet, iube illos à tuis pedibus surgere, & ad nos iuandos accedere. Quæ etiam magna est illusio, parumque in spiritu exercitatorum indicium, qui reliquos omnes velint ea, quam ipsi tenent, viâ deducere. Contemplati siquidem otiosi non sunt, sed satis bene occupati in Dominis sui obsequio; quo ille valde dele-*

Etatur;

Etatur; iuuantque non mediocriter Ecclesiam ipsam, eiusque operarios, quando à DEO Dominō nostro gratiam & fauorem obtinent, ad eorum labores & operum fructus. Ideoque ipse Dominus aduocatum se exhibet contemplantium, ut in hac historia videbimus, eum statim Mariam defendisse. Quare plurimum mea intererit in cœlestis Patris manus me projcere, qui gratias & dona sua e singulis diuidit prout vult, & nobis expedit; & hac confidentia eam partem modumque viuendi amplectar, quem ipse mihi designauit, gratias etiam pro eo agens, quem alijs communicauit; & gaudens quod illi magni sint; suaque illa magnitudine meam iuuent paruitatem: ut charitate hac, aliorum dona, mea propria faciam. O DEVS cordis mei, procul à me huiusmodi sint querelæ, satis mihi sit, quod tu facias, ne ego conquerar: siquidem nihil, quod à te prodeat, potest mihi non esse percommendum.

c Cor. 12.11

### ALIAE VITAE ACTIVAE imperfectiones, quas Christus Dominus corrigit, ut illa perfectior euadat §. 4.



ESPONDENS dixit illi a Dominus: a Luc.10.41  
Martha Martha sollicita es, &  
turbaris erga plurima. Hac respō  
sione Christus, iterato Marthæ  
nomine, ita amorem erga illam

aperit,